



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. De naturâ maris Caspij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## §. 6. De Euxini Maris diuisione.

PARTEM Euxini Mæotida dixisse veteres, pluribus apud Stuchium leges. Reliquum in duas partes secernitur : quare de eo Strabo lib. 2. dixit hoc mare *τροποι πινά διθάλαττον* per duo Promontoria, *Cornu Arietis* in *Tauricâ Chersoneso*, & *Carambin* in *Asiâ Minori*, *leuâ*que appellari *Πέλαγος ἀπὸς ἐσπέραν*, *dextram* τὸ *Εὐόν*. Et quia minus excurrit *Carambis* quàm *Cornu Arietis*, ideò dicitur ab antiquis non malè repræsentare formam arcus Scythici; de quo vide Strabonem lib. 2.

## CAPVT DECIMVM.

## De Mari Caspio.

NOMEN habet à *Caspiis* populis, diciturque etiam ab *Hyr- canis Hyrcanum*. Non minùs fuisse quàm *Ponticum Clitar- chus* docet apud *Plinium* lib. 6. cap. 13. *Ptolemæi* positiones euincunt ampliùs esse. *Agrippa* apud *Plinium* in *longitudinem* ad ccccxc. millia passuum, in *latitudinem* ad ccxc. porrigit. De ambitu non audet statuere *Plinius*, & in numerum passuum, quem ex aliis affert, dubio procul error irrepsit.

## §. 1. De naturâ Caspij Maris.

QUINQUE de naturâ huius maris Philosophi, & Geographi obseruant.

*Primum* : eius aquam dulcem esse : Ita *Plinius* lib. 6. cap. 17. qui citat eius rei testes *Alexandrum Magnum*, & *Varronem*. Idem quoque *Solinus* cap. 22. Ideòque dicebatur eius *ὕδωρ ὑπεργλυκν*.

*Secundum* : serpentes aluisse : sic *Polycletus* apud *Strabonem*. *Curtius* lib. 7. cap. 7. *Diodorus Sic.* lib. 17. qui addit illos ingentes esse.

*Tertium* : pisces colore à nostris differre : ita *Diodorus*, & *Curtius*.

*Quartum* : *ἡνεῖδης* esse belluosum, sic *Mela* lib. 3. cap. 5. *Belluis* magis quàm cætera refertum, ideòque minus nauigabile.

Q iij

*Quintum*, æstibus reciprocis concitari; quod vnus lib. 7. Curtius afferuit.

§. 2. *Vtrum hoc Mare sit à reliquis separatum.*

REFVTABIMVS superiùs eorum opinionem qui cum Scythico mari *Caspium* coniunxerunt, siue per *angustum fretum*, vt plerique veterum, siue per *occultum meatum*, vt Eustathius. Sed duobus aliis modis iunctum, aliis maribus Antiqui crediderunt.

*Primus* est connecti Oceano Septentrionali per Fluum *Ara-xum* meliùs fortè *Laxartum*: quia is fluuius, vtriusque maris nexus, alluere dicitur regionem Massagetarum, & duos habere fontes, quorum vnus influit in mare Septentrionale, alius in *Caspium*. Ita Strabo libro XI. Sed hoc falsum esse in Tartariâ videbitur.

*Secundus* modus connecti *Caspium* cum Euxino per Paludem Mæotidem. Meminit eius Curtius lib. 7. cap. 7. meminit & Strabo, & huius erroris causam refundit in ambitionem Macedonum Regi suo domitum orbem arrogare volentium. Certè eâ de re dubitasse Alexandrum ex Arriani 7. constat, vbi ait Regem destinasse Heraclidem quendam, qui de iis quæreret. De mendaciis Patroclion est quod hîc iterum conqueramur.

§. 3. *De diuisione Maris Caspij.*

IN quatuor partes distributum est; quarum ex veteribus elicio nomina Scythicum, Albanum, *Caspium*, Hyrcanum.

SCYTHICVM dicitur eius pars ab ostio *Rhymnici* Fl. Orientem versus ex Pomponio Melâ lib. 3. cap. 5. Sed meliùs ex Plinio lib. 6. cap. 13. extenditur ad Albaniam.

ALBANVM affunditur toti Albanîæ, vt ex disertis Plinij verbis eodem loci constat.

CASPIVM ex mente Melæ, & Plinij à *Cyro* fluuio limite Albanîæ, & Mediæ procedit Hyrcaniam versus, Plinius, à *Cyro Caspium mare incipit vocari.*

HYRCANVM denique occupabat partem respondentem *Rhymnici* fluminis ostiis, ad Orientis vltimum recessum. Sic intelliges quoad ait Mela; *Contra os ipsum in Hyrcanum*; videlicet ab limite Occidentali Hyrcanîæ, qui respondet *Rhymnici* fluuij ostio.